



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

§. 1. An detur Distinctio Rationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

tionis in *concreto*! *vel*, an forma de nominans duo extrema intentionalia v. g. *Animal & Rationale*, distincta, sit *Alietas intentionalis* resultans ex duobus objectis intentionalibus? Ecce conceptum distinctionis rationis in *abstracto*! Sequitur ad duplicem hanc quæstionem duplex resolutio.

§. I.

An Detur Distinctio Rationis?

152. *Dico. Datur. Ratio. Datur esse intentionale, i. e. datur esse objectivum rerum in intellectu; ergo etiam datur distinctio intentionalis five Rationis. Sequela videtur legitima; quia distinctio sequitur ad esse; ergo sicut esse reale sequitur distinctio realis; sic esse rationis vel intentionale sequitur distinctio rationis vel intentionalis. Probo igitur Ant. Imò ratione. Esse intentionale rei est esse diversum ab esse reali physico rei, quod res existens in intellectu accipit dependenter à diversis conceptibus formalibus inadæquatis, quibus intellectus eandem rem realiter indivisibilem jam sub hac, jam sub alia formalitate, prout nimirum rei habet species, sibi repræsentat; sed datur tale esse; ergo. Prob. Min. Inprimis dantur diversi conceptus formales; Nam intellectus potest repræsentare sibi v. g. *Hominem*, jam sub conceptu *Viventis*, jam sub conceptu *Animalis*, jam sub conceptu *Rationalis* &c. cum id faciendi sufficiens fundamentum habet; De quo fundamento vide plura
tum*

tum in objectionibus, tum infra, ubi ex professo de distinctione Virtuali minori inter gradus Metaphysicos agitur. Deinde his conceptibus responderet esse intentionale rei diversum ab esse rei reali. Hoc patet I. ex eo; quia hi conceptus sunt *existentia rei intentionalis ut quo*, sive sunt id, quo res existit intentionaliter, sive in intellectu; Sicut ergo existere reale non est sine esse reali; ita existere intentionale non est sine esse intentionali. Patet II. ex hoc: quod *animal* v. g. existens in intellectu aliter omnino definiatur, quam *animal* existens à parte rei: Illud enim est *tantum Principium sentiendi*, quæ definitio animali existenti realiter non convenit; ergo habet aliud esse in intellectu, quam à parte rei. Probo ant. 2do *Authovitate*. D. Thomas *Opusc.* 55. Sic ait: *Ideo oportet, quod (intentio universalis) sit de iis accidentibus, quæ consequuntur eam (scilicet naturam) secundum esse, quod habet in intellectu.* Et paulò post ita loquitur: *Relinquitur ergo, quod ratio generis vel speciei accidit naturæ secundum esse, quod habet in intellectu.* Eadem repetit in fine *hujus opusc.* Et in *opusc.* 56. *Confir. ab exemplo rei visæ:* Nam res visæ habet aliud esse in oculo, & aliud extra illum: Sic baculus, ex parte aquæ immersus, in oculo videntis apparet fractus vel curvus, cum tamen physicè sit rectus; cur ergo non concedatur simile esse intentionale rei in intellectu, cum res æquè aliam apparentiam habeat in intellectu existens, quam existens in statu physico.

153. *Obj. 1.* Non datur esse objectivum vel intentionale rei diversum àb esse physico rei; ergo nec datur distinctio rationis. *Prob. Ant.* In statu intentionali sunt tantum hæc duo: *Cognitio & objectum intrinsecè non mutatum*; Sed objectum intrinsecè non mutatum non habet esse diversum àb esse physico rei, cum sit ipsa res physicè existens; ergo non datur esse objectivum vel intentionale rei diversum ab esse physico rei. *R. D. Maj. Probat.* In statu intentionali sunt tantum hæc duo: *Cognitio & objectum physicè existens, non mutatum intrinsecè intentionaliter.* N. Sunt tantum hæc duo: *Cognitio & objectum intentionaliter existens, non mutatum intrinsecè physicè, mutatum autem intentionaliter.* C. *Dist. etiam min.* Sed objectum nec *physicè* nec *intentionaliter* mutatum non habet esse diversum àb esse physico rei. C. sed objectum non mutatum quidem *physicè*, mutatum autem *intentionaliter*, non habet &c. N. *Explico:* Verum quidem est, quod cognitio non mutet *physicè* objectum, prout *physicè* existit; sed nego suppositum, quòd cognitiones inadæquatae cognoscant rem, ut *actu realiter & physicè* existit; cum illam cognoscant tantum intentionaliter existentem. Nam cognitiones ejusmodi concurrente specie impressâ virtualiter repræsentativâ & manifestativâ unus tantum prædicati, & non alterius, sibi ipsis *exercitè* faciunt suum objectum, adeoque mutant objectum physicum intentionaliter. *Si ais:* Id, quod existit in statu intentionali, est

est id ipsum, quod existit physicè. R. D. Est id ipsum adæquatè. N. Est id ipsum inadæquatè. C. Illud, quod existit intentionaliter, dum v. g. Cognosco animal ut sic, nec est Leo, nec homo, nec Petrus, nec Bucephalus; Sed est animal secundum prædicata essentialia tantum, cui deinde convenit denominatio Universalis, quæ animali physicè existenti non convenit.

154. *Inst.* 1. Illud esse intentionale v. g. *Animalis* vel distinguitur realiter ab esse intentionali *Rationalis*, & ab esse physico *ipsius animalis*, vel non? R. Esse intentionale ut quod, sive *activum & causativum*, i. e. cognitiones inadæquatæ, facientes hoc esse intentionale *Animalis*, distinguuntur realiter: Verùm esse intentionale quod, *passivum & Formale Animalis* non distinguitur nisi ratione ab esse intentionali *Rationalis*, secum realiter identificati, & ab esse physico ipsius *Animalis*. Igitur quando cognosco Animal, cognosco id inadæquatè, quod extra intellectum physicè adæquatè existit, h. e. cognosco v. g. hominem inadæquatè, nec mea cognitio terminatur ad existentiam hominis physicam adæquatè acceptam. Hinc objectum meæ cognitionis est *Animal existens intentionaliter*, quam existentiam exercitè illi dat cognitio inadæquata ad illud terminata. *Si inferas*: Ergo esse intentionale animalis ut quod, est Animal ut cognitum, & consequenter cognitio cognoscens Animal intentionaliter existens terminatur ad ipsam cognitionem.

tionem. R. D. *Ult partem illat.* Cognitio reflexa, quæ cognoscit animal jam distinctum terminatur etiam ad cognitionem C. cognitio directa, quæ exercitè dat animali esse inadæquatè cognitum, & activè distinguit N.

155. *Obj. 2.* Si intellectus rem realiter eandem & indivisibilem concipere ita possit, ut non sit eadem secum intentionaliter; ergo hoc proveniret vel ex perfectione vel ex imperfectione intellectûs; Sed neutrum dici potest; ergo nequit rem realiter eandem sic concipere. R. Utrumque dici potest. *Primò* ac præcipuè id provenit ex imperfectione; quia intellectus noster est potentia limitatæ virtutis, nec cognoscit formalitates omnes in re inclusas: Sic in Deo simul repræsentare sibi nequit attributa omnia; hinc singillatim illa conceptibus inadæquatis sibi repræsentat. *Secundò* dici potest, id provenire ex perfectione intellectûs hoc sensu: Quòd intellectus non versetur modo materiali circa suum objectum, velut oculus; sed spirituali & magis subtili, quâ dividere intentionaliter potest, quod in se est unum, & vice versâ conjungere, quæ re ipsa sunt distincta. Hic bene observes velim. I. Subtilitas aut imperfectio intellectûs est tantùm *extrinsecum* distinctionis hujus *fundamentum*. II. *Fundamentum intrinsecum reale* est æquivalentia, quâ res eadem v. g. *Homo* per operationes diversas æquivalet jam plantis, jam brutis &c. *Fundamentum intrinsecum rationis* est ipse formalitatum diversus conceptus objectivus.

vus. Nam conceptus objectivus v. g. *Animalis*, qui est *Principium sentiendi*, diversus est à conceptu objectivo v. g. *Rationalis*, qui est *principium ratiocinandi*.

156. *Obj. 3.* Ubi est distinctio, ibi debent esse duo extrema; sed ubi concipitur eadem res, non sunt duo extrema; ergo nec distinctio R. D. *maj.* Ubi est distinctio, ibi debent esse duo extrema vel *intentionaliter & objective*, vel *realiter & physice*. C. Ibi debent esse duo extrema semper *physice & realiter*, *subdist.* Ubi est distinctio realis physica C. ubi est distinctio intentionalis N. D. *etiam min.* Sed ubi concipitur eadem res, non sunt duo extrema *realiter & physice* C. *intentionaliter & objective* N.

157. *Obj. 4.* Per hoc, quod eadem manus modò substat frigori, modò calori, non dicitur distingui à se ipsa; ergo nec objectum idem modò hoc conceptu inadæquato, modò illo cognitum dici potest ratione à se ipso distinctum. R. N. C. *Disp.* est, quia manus eadem non accipit diversum esse per frigus & calorem; objectum verò accipit diversum esse per cognitiones sui inadæquatas, quibus respondent diversi conceptus objectivi.

158. *Observa.* Sicut negabilitas, separabilitas & oppositio contradictoria pro statu reali, signa sunt distinctionis realis; sic eadem pro statu intentionali signa sunt distinctionis rationis. Hinc quia animal v. g. & rationale distinguuntur ratione, negari etiam de se invicem possunt; imò negari etiam possunt de ipso homine non

quidem eodem, sed diverso modo sumpto: h. e. de homine concepto ut animali dicitur, quod fit principium sensationum, & de eodem homine, sed concepto ut rationali, hoc ipsum negari potest.

§. II.

In quo consistat Distinctio Rationis ratiocinatae?

159. *Dico.* Distinctio rationis ratiocinatae non consistit formaliter in duabus cognitionibus, aut in una his æquivalente; sed in *concreto* est ipsum objectum intentionaliter existens, pro ut est aliud ab altero. v. g. Animal in statu intentionaliter existens distinguitur à rationali per suam entitatem logicam, quam in hoc statu habet, non quidem *absolutè* sed *respectivè* sumptam, sive prout est alia ab entitate rationalis. In *abstracto* autem distinctio hæc nil aliud est, quàm *Alietas* intentionalis. *Ratio 1. partis* est; quia cognitiones tanquam causæ extrinsecæ dant esse intentionale rei; sed quod sic dat esse intentionale, non est ipsa distinctio formaliter, sed causaliter tantum; ergo distinctio rationis non consistit formaliter in ipsis Cognitionibus. *Rationes 2. & 3. partis* desume ex n. 144. ubi probavimus distinctionem realem consistere in Relatione alienationis, & huic materiæ applica.

160. *Obj. 1.* Distinctio rationis in *abstracto* est illa forma, per quam res eadem dicitur exercitè aliter & aliter repræsentata; sed res dicitur sic repræsentata per ipsas cognitiones inadæquatas eandem rem exercitè inadæquatè cognoscens; ergo ipsæ cognitiones sunt distinctio
rationis